BENEDICTI PVCII

Monachi Camaldulensis.

De


RELIGIONE, VITAEQVE MONASTICAE PERFECTIONE.

AD REVEREND. P. D. AVGVSTINVM DE BALNEO eiusdem Ord. Abb. Generalem.

Cœterosque Patres Camaldulenses.

ORATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



VENETIIS, M. D. CVII.

Apud Petrum Ricciardum.

Permissu Superiorum.

ADMODVM R. P. DOMNO SIMEONI PERVSINO SACRAE CAMALDVLENSIS EREMI MAIORI DIGNISSIMO.

Benedictus Pucius Monachus Camaldulenſis.
S. D.

Offero tibi munus (Simeon Pater ampliſſime) ſi ex tua, aut ex ſua dignitate ſpectetur, perexiguum: ſi ex viribus meis haud mediocre, ſi ex animo magnum; Orationem nempè hanc de Monachali vita, nuper à me editam, ac typis datam. Cur autem illam tibi inſcripſerim, impulit me tua erga nos omneis humanitas, atque incredibilis amor; impulit & ſpes, hunc ſcribendi laborem tibi fore acceptum, impulerunt & maxima beneficia, quibus me immerentem affeciſti; præſertim dum munus totius Ordinis noſtri Generalatus obires. Quamobrem, quò plura me tibi debere profiteor, & præmefero; eo magis, vt verum fatear, de beneuolentia tua ſum ſollicitus. Itaque quid vnicuique noſtrum conducat, quovè pro ſalute animæ noſtræ, & quidem æterna ſalute, noſtra verſari deberet cogitatio; breuiter diſſerere placuit: quantum verò hac in re præſtiterim, æquo animo videant legentes: Mihi certè ſatis optimè prouiſum, occaſionem iſtam ob id dumtaxat arripuiſſe, vt eſſet aliquid ex ſtudijs meis depromptum, quòd mirificam animi erga te mei deuotionem oſtenderet, ac teſtatam cæteris relinqueret. Vale.

Ex D. Michaelis de Muriano Cœnobio Kal. Octob. MDCVII.

BENEDICTI PVCII MONACHI CAMALDVL.

De Religione, vitæque Monasticæ perfectione.

AD REVERENDISS. P. D. AVGVSTINVM de Balneo eiusd. ord. Abb. Generalem,

Cæterosq. Patres Camaldulenses.

ORATIO.

Mihi sæpè cogitanti (Præstantissimi, ac Religiosissimi Patres) quidnam potissimum Vobis afferri posset, quòd & studijs meis, esset aptissimum; & sapientiæ vestræ, atque auctoritati grauissimum, nil aptius, nil conuenientius, nil grauius, vestrisq. auribus gratius duxi; quàm si de Religione, vitæq. Monasticæ perfectione pauca disseram. Quid enim per Deum immortalem aptius mihi esse potest, quàm loqui, atque tractare ea, quibus valdè proficere deberem? Quid grauius dici, quàm de Dei cultu? Quid gratius denique Vobis accidere potest, quàm audire eos fructus operum, qui in Vobis maximè conuenire videntur. Dicturus igitur de eiusmodi tàm sublimi vitæ statu, non certè prout ipsius dignitas postulat, sed prout ingenij mei fert tenuitas: id, vt cum fructu aliquo præstare valeam, diuinus spiritus mihi prius à Deo implorandus est, sedulisq. præcibus efflagitandus: deinde à vestra omnium humanitate duo requirenda; alterum, vt cum rem tractare cæpero, eundem ipsum animum tunc magis meum, quàm rem ipsam emetiamini: alterum, vt dum oculos circumferens Vos ipsos quæro, quæ de Monachali Vita breuiter disseram, benignè audiatis.

A

Præ-

Præſtantiſſimi, ac Religioſiſſ. Patres rationis, doctrinæq; capaces, quærere victum, declinare mala, ſequi bona, aliaq; multa ipſa nobis Natura. Exemplis Sanctorum dedit optimis, ſolam eſſe Religionis vitæ agnitionem, quæ res diuinas, humanasq; complexa fouet, conſeruatque. Hæc humanarum mentium meritum, animorum iubar, Sancti propoſiti neruus, atque robur iubet repudiatis illecebris voluptatum, unumquemq; tendere, quo ſpirante Deo, vocatur; Ad domum huius, qui ſe recipit, eum ad ingentia facta perducit, nec vires animi remoleſcere ſinit. Hęc à Deo Sanctis eius data, beatitudinem non huius ſęculi, ſed ipſius cęleſtis regni donat ſuis cultoribus, & ducem ſe præſtat ad gloriam vitæ æternę, quę mortē omnem noſtram abſorbet. Quid autem melius, aut elegantius cuiquam hac in uita contingere poteſt, quàm ſi ſuo fungatur munere, ideſt, iuſtè, rectè, officiosè. Traditum eſt ea in Eremo, cui Euagrius Abbas pręfuit, fuiſſe monachos, qui ſedendo ſomnum caperent, non iacendo, magis repugnantes ſopori, quàm dormientes. Hi profectò iure ſuo dicere poterant; omnes nos filij lucis ſumus atq; diei; non noctis, neque tenebrarum, igitur non dormiamus ſicut cæteri, ſed uigilemus & ſobrij ſimus. Quòd ſi diligentius explorare voluerimus, qui ſimus ipſi, unde uenerimus, quò tendamus, ne tùm liquidò apparebit mediocri uirtute nos contentos eſſe debere. Cur enim Monaſtica Clauſtra adiuimus? Cur ſolitariam hanc ſtationem captauimus? Cur ſocietati, & collegio ſanctorum fratrũ intexi uoluimus? Cur religioſam induti ueſtem? Cur illa tria ſolemnia uota profeſſi? Si ueluti plebs, & vulgus hominum uiuimus, ſi nihil, aut non multum uitæ meritò diſtare ab his cogitamus, quos ſęculi fluctus, & exundantium negociorum turbines excipiunt, atq; exercent. Alia illorum, alia noſtra ratio eſt. Illi mortalium operum procurationem ſuſcipientes, ſatis habent aduerſus uitia uirtute duce ſuperiores euadere; Nos impigro magis gradu uirtutem ſequentes, poſtquam diuinis inſiſtere voluimus, non uitia tantùm frangere, ſed etiam cupiditates reſecare debemus, oportet nos quamuis in carne locatos, carnis oppugnare naturam, ut quiduis potius, quàm homines uideamur, non honorum ſplendorem, non laudum præconia affectare, non odore, non ſapore, non tactu, non pulchritudine corporũ capi, ludos, ioca, conuiuia, familiaritates diſerere, ad omnia denique ſuauia, & iucunda, quę mundus effert animo eſſe lapideo; Quemadmodum ille noſter ſanctiſſimus Pater Benedictus, qui viuendi formulas, quas nunc plerumque ſequuntur Monachi ſcriptas edidit; à Parentibus ex Nurſia Romam ad excolendum liberalibus diſciplinis ingenium miſſus: impubis ad huc, ac penè puer altius, quam ea conſueuit ætas diuinitus inſpiratus, tactusq; amore cęleſti, literarum ſtudia, Romam ipſam, Parentes, amicos, delitias, facultates deſeruit, uixitq; ſolitarius nihil de terrenis bonis curans; Orationem ſtudijs, Romæ Ere-

mum, Parentibus præponens Christum ęternę vitæ pręmia largientem; Quem si Monachi pariter consequuntur, quid tũ licuerit, quidue profece rint uiderint ipsi: Christianus vir religioni addictus nõ existimauerit benè nudum, atq; inopem esse oportere, qui se tegere, atq; ornare Christo velit? qui enim unquam bonorum è grege nostro aliter senserunt siue docti, siuè adeò indocti? Quid autem Crucis nobis exibent uexilla, nisi nudum Christum facinora nostra tollentem, quem in suis insistere vestigijs debemus, & quid magis horret Diabolus, quoniam ipse rebus exteris nudus inuenitur, quàm si uidet cum æquè nudo sibi fore luctamen: Nàm si quem in ueste apprehenderit alicuius terrenę cupiditatis, hunc facilè deiecturum confidit. Atqui Beatus Franciscus uili tunica contentus, detectisque incedens uestigijs uerbum Dei disseminare cæpit; Sanctorum Apostolorum uitam aggressus effingere, sicuti nuditate, ita & prędicandi cura, uictu quàm tenuissimo utebatur, & tamẽ uinci se dolebat, si quis ipso pauperior apparuisset; Paupertatem Dominam suam uocabat, se non modò pauperem constituens, sed etiam pauperum seruum: denique quemadmodum ipse seruandæ paupertatis in primis, maximeq. studiosus erat, haud aliter fratres suos instituẽdos curauit: iussos proprij habere nihil possidere nihil, & quo se submissius gerant uictũ mendicando quæritare; Quia melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas, & uerissimum, quòd à Domino dicitur; Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Fœlix igitur Paupertas, per quam & hostiles insidię uitantur, & cęlestes diuitiæ comparantur. At corpori quid faciemus altissimum Castitatis propositum proteruis motibus inuadenti? Non enim sicut externarum rerum pompam, & delitias; quæ ad uoluptates perfruendas expetuntur; diffugere ualemus, ad nuda, & inania monasterij habitacula ueluti ad cautes, et saxa exilij quodam iure delati, magnum prælium, durum ineundum certamen cum atroci hoste res est; cum quo frequens pugna, sed rara habetur uictoria: qui medullis, uisceribusq; penitus inclusus sensus intimos titillat omneis delinimentis, & illecebris miris cum omni suauitate affluentibus: & ecce tetra, & impura inuadit imago uoluptatum, quæ pręter oculos trepidantis animę feruntur, sed ne feriatur scutum accipiamus, quo iacula hęc lasciuię repellantur. Nunc cum lasciuis, & mollibus pugnat iaculis, Nos exaduerso duritiem uictus, & asperitatem opponamus; nàm & cilitia induenda nobis, & ieiunia continuatis mensibus ducenda, & flagra inferenda, algoris, & æstus iniquitas subeunda, præstat esse uiros, ut arma hæc pondere grauia, tractatu aspera, aduersus insolentiam tàm nefariam hostis expedire ualeamus: hac ratione clauus retundendus. Deposcit sæculi delitias caro, sicuti eius ingenium fert, at ne caro nostra luxurię se dedat, ieiunijs intantum doleat, ne opprimantur uires illius, sed frænentur; hoc enim tantùm quęritur,

ritur,

-titur, luxuriç fluxa substringere, quemadmodum equum equiti: Citharam Citharedo: Nauem Nauclero, bigam Aurigæ, sic caruem animi imperio subditam esse oportet. In ieiunio sed enim haud est perfecta uirtus, sed cæterarũ uirtutum fundamentum, & sanctificatio, & pudicitia, sine qua nemo Deum uidebit. Vbi enim est ieiunium carnis facilè tollitur oblectatio. Nunquam Monachus ille ieiunans mulierum formas concupiscit, quod potissima Monachorum tentamenta sunt mulieres. Maiorus Episcopus Sargiensis quartæ, & sextę feriç dies ità ieiunio suo consecrauit, vt in illis nihil prorsus degustaret; Alijs uero diebus pane ordaceo victitabat. Vis nosse quantum illi sic ieiunasse profuerit? Virginitatem perpetuò seruauit. Sed quid? Hac in re etiam tuta pertimiscenda sunt. Nunc sequenda est quidem illa Hyeronimi sententia, maximeq; obseruanda: Fac aliquid operis, ut te semper Diabolus inueniat occupatum; & ne idem corpus inertiæ sese dedat, otioq; corrumpatur de exercitijs eius, & labore; ideò ne vacua mens sibi quicquam fingat malarum cogitationum, nobis intentius aliquid operis semper fuerit moliendum: cum præsertim omnis concupiscentiæ, immunditiæ, atq; peccati parens otium sit. Sed de Castitate hactenus: hæc enim secundo loco resedit, quam solemniter religiosam ingressuri uitam nuncupauimus.

Superest Obedientiæ Votum, quòd germana quadam societate rectè antecedentibus copulatur: Nàm postquam externarum rerum magnificentiam, ornatumq; despeximus, item & sensuum suaueis, iocundasque motiones afflixisimus, restat modò, vt liberum mentis nostræ arbitrium summittamus. Horum unum Paupertatis, alterum Castitatis tuendæ cura dedit; reliquum obedientiæ susceptio præstabit. Appetit unusquisq; naturæ impulsu excellus, præstansq; uideri, ad imperandum magis, quam parendum paratus. Et quoniam libertas est, posse in his plurimum, quæ decet posse, hac libertate, quæ toto non uenditur auro, omnes gaudent, sententiamque suam, & operam unusquisque cupit admirabili uideri, & cæteris anteferri, sed hæc agant liberi; Nos seruitium Christi sumus, (cuius seruum existere, agi frenis, atq; sub eius dominio permanere summa ingenuitas, siuè nobilitas est) Nobis erepta uoluntas, & in alienam ditionem collata. Marianus Monasterij Bituricensis Monachus Mamertino Abbati ita se subiecit, ut Bubulci seruitio fungi iussus non grauatim obediret; nihil uile, aut contemptibile arbitratus, quod sibi agendum ille iniunxisset. Quid enim obedientiæ iugo elegantius? quid ornatius dici, aut excogitari potest? O obedientiam præclarissimam Virtutum omnium, quę tuo utero larga demittis sanctissimę humilitatis fluenta. Tu monachum doces iudicia propria extinguere: maiorum cedere præceptis impellis, ut se prosternat, deijciatq; omnibus, nihil se scire, nihil intelligere arbitretur, nisi aliundè acceptum, ac traditum: nunquam uana tolletur

ambi-

ambitionis aura, nunquam sua magnifaciet, nunquam de principatu contendet; maiores colet (uix tamen credet) altiori honore prosequetur. Porrò cum liber sis, subijcere te alterius potestati, ac formam serui inducere propter Deum, quid aliud est, quam eum imitari, qui cum omnium esset Dominus, exinaniniens se habitum serui sumpsit, & obediens factus est usque ad mortem, mortem autem Crucis: Quod si tàm gloriosum non mb ueret exemplum, illud tamen maximè urgeret, quòd nullus hominum cætus, nulla societas, nulla respublica; nulla domus consistere potest, nisi maioribus pareatur; Quamobrem aut dissoluenda Monasterij, idest Monachorum habitacula, aut certè si retinentur obedientiæ iugo colla submittenda, & cogitandum quod non modò inter omnes, sed supra omnes congruit monachis humilitatem, ordinemque seruare; Spectabit igitur Monachus in Cunctis ad Pręfectum suum, & tàm se ei docilem præbebit, & sequentem, ut vel breuissimo nutu ab eo gubernetur, eat, maneat, redeat, uigilet, psallat, sacrificet, comedat, lauet arbitratu Abbatis sui, nihil horum à se impetret; Neq. tamen omni uoluntate Monachum penitus denudamus, ne animalis ritu agi putetur; sed eum hac pręcipua, & excellenti uirtute armamus, qua toto animi affectu in Dei amorem feratur. Hic est ille amor, qui finis est actionum omnium, & cogitationum nostrarum. Tria hæc Paupertas, Castitas, Obedientia ideò suscipiuntur, ut hunc amorem foueant, nutriant, excitent, corroborent; Nàm ubi externas res, corporis sensus, mentis arbitrium, nos deniquemet ipsos abijcimus, negligimus, abiuramus, si unus tantum relinquitur, qui ametur Deus, fortius in hunc uidetur amor noster ruere, qui in aliorum curam, ueluti riuulis, quibus minus deducitur, sed totus simul, & conglobatus in illum rapitur, uel nos potius rapit; Quòd si diuersorum solicitabit turba negotiorum, elanguescet ille, & dissipatę animi uires segnius ad diuina consurgent. Nobis pręterea si quicquam proficere cogitamus, maxima solitudinis, & silentij cura inesse debet, quæ duo pariunt orationem, non hanc quidem orationem, quam psallendo fundimus, collectis ex ordine uerbis, & animaduertentes nequid prætereatur, sed illam inquam orationem, qua compressis corporeis sensibus, attollimur spiritu, Principique illi ueritati copulamur. Cæterum nunc Beatissimi Patris nostri Romualdi exemplum haud prætereundum est, qui dum montem solitarius incoleret, septenni silentio spiritalem psalmorum intelligentiam meruit percipere, quos cum argutè, eleganterq. exponeret, dicere uidebatur? Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum: Post hęc etiam miraculis nobilitatus est, ut qui propter Deum tam diù tacuerat, propter eum signa loquerentur. Dicite nunc obsecro Patres, dicite quęso: non linguæ, non pedum frenare uolumus officia, oberrare iuuat ubilibet gressibus, & sermonibus; sed (pròh dolor) nihil tà facilè mentis emollit neruos,

quàm

quàm hæc ſermonis proluuies, nihil æquè ſolatur rigorem monaſticæ diſciplinę, quàm hęc incitata linguæ uolubilitas, quæ itidem peccatorum comes eſt; hinc multorum perijt profectus, vt nō ſentiatur, adeò ſuaui capiuntur ueneno. Ipſe etenim Veritatis Magiſter, & Vitæ Dominus in Euangelio ait; De omni uerbo otioſo, quod locuti fuerint homines rationem reddent in die iudicij: Et Iacobus uerò Apoſtolus. Sit (inquit) omnis homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum: Et paulò poſt, Si quis autem putat ſe religioſum; non refrenās linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum huius uana eſt religio. Quęremus etiam cur ueteres Patres orationibus innixi tàm familiariter Deo aſſiſterent, ueluti Cœli iam municipes, ac nō cogitabimus illos ſilentio, & ſolitudini addictos ſolis ſe inſeruiſſe diuinis; Nàm cum ſqualida, et vaſta capeſſerent Eremi loca, garulum forſitan propter fontem incolebant, non ipſi garuli erant, feras per patula curſitantes forſitan ſpectabant; non ipſi curſum exercebāt; raros homines ad ſe uenientes quamprimum dimittebant, non ipſi ultrò multorum amicitiam appetebant. Rarus ſermo illis, & magna delectatio tacendi. Si quando loquendum erat, loquebantur de ara Crucis, de cæleſtibus Hyeroſolimæ diuitijs, de ſummi Regis beneficientia, de bello aduerſus Diabolum, deque eius inſidijs, demum de talibus, quibus ipſi vnà cum Auditoribus proficerent ad pietatem; quędam etiam de ſcripturis ſanctis ſibi ipſis inuicem proponebant, & audiebant, eorum autem quę gerebantur in Vrbibus magna eos obliuio tenebat.

Quid plura? à rebus externis, à corporis cura auerterant ſe ipſos, animum totum ab omni mundi fuligine purum deterſumque in unum effundebant Deum, magni Conſilij angelum, veræ uitę fontem, ęternorum bonorum auctorem; hunc quęrebant, cum hoc conſiſtere cupiebant. Eadem & nobis ratio quoq; tenenda: eadem ueſtigia perſequenda; ſi quid Monachi profeſſione dignum implere auemus. Etenim unusquisque intra ſe ſic agat: ac loquatur; Hęc ſeruemus fratres, ut cuſtoditis officiorum uicibus; conditi, & aperti; ſoli & ſociati; loquaces et ſilentes; de litijs nudi, & arma lucis induti inueniamur; Atque hanc quidem pulcherimam ducemus morum concordiam in tàm diſſona actionum uarietate. Cupimus omnes; quantum in hac vita fieri poteſt; Deum videre, meminerimus dictum eſſe; Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Cor igitur ab omni inquinamento vitiorum, & omni ſęcularium rerum deſiderio mundandum: & ubi id adepti (ſuffragante Domino) fuerimus, nondum ab opere ceſſandum, ſed id agendum, ut mundities retineatur. Nemo eſt tàm mūdus, quem mundiorem uidere velim; hoc nō iā prętęrita reſpiciens dico, ſed metuens futura. Nàm ſi quiſquam eſt timidus in magnis periculoſiſque rebus ſemper metuens aduerſus rerum exitus, quàm ſperans ſecundos, is ego ſum, & ſi hoc eſt vitium, eo me non carere

fere confiteor. Aliquid amplius etiam dicendum; Non ſatis eſt Monacho accepta, & parta bona tueri, & retinere, niſi ſtudeat augere, & alia maiora, cumulare, pergat ire quotidie (ut dicitur) de virtute in virtutem, ſi dixerit, ſufficit, actum eſt de illo. Etenim humana mens, voluntas, cogitatio varias ſemper recipit morum agitationes, quę nunquam acquieſcit, vno loco conſiſtere nequit, non domum, non hoſpitium inuenit vllum commorandi, ſed in mortali vitę huius ſemita, ueluti perpetui Curſoris fungitur vicem. Itaque ubi non tendit ad optima, ad peſſima contendit; vbi non progreditur, retrograditur; vbi non proficit, deficit; denique deſinit eſſe bonus, dùm negligit fieri melior; ſemper autem fieri melior poteſt, quùm nullus finis futurus ſit inſequendi ſummum illud bonum, quòd & ipſum ſine fine eſt. Hinc illa Pictoris uox, quę poſtmodum in prouerbium uenit, ſe nunquàm ſine linea diem duxiſſe. Quamobrem uigilandum eſt nobis Fratres, intento undique animo circumſpiciendum, ab oratione non modò ceſſandum, ſed feruidius quotidie inſiſtendum; quoniam maximus ille Monachorum hoſtis Diabolus; cui nomina mille, mille nocendi artes. Nunquam ſomnum capit, non dormit, neque dormitat; ſemper eò tendit, vt monachum de propoſito, uel gradu deijciat. Non enim ille primo tentat ab oratione abducere, ſed ſuggerit, ut remiſſius oremus, deinde vbi id ſuaſit, tùm illud, vt minus frequenter, atque ita paulatim Monachum carpit, vt parua, vel nulla cura tangatur diuini operis, & ad extremum Monachum eſſe non ſinat. Detegamus nunc huiuſmodi inimici dolos, atque inſidias aduerſus humillimum precatorem, fidiſſimumq. dei ſeruum Franciſcum, qui cum die quadam prolixius oraret: audiuit clamantem; Franciſce pœnitentibus ignoſcit Deus, non ſe tàm pertinaci fatigatione conficientibus. Agnouit Vir iuſtus in uerbis dolos, & ut cœperat orando perſeuerauit, atque ad perferendos pro Chriſto labores magis, ac magis exarſit. Sciebat enim Inimici conſilia ſemper eò ſpectare, ut fallant, nunquam, ut doceant; ſcriptumque eſſe; Ne deſideres de cibis eius, in quò eſt panis mendacij. O peſsimum hoſtem, omni animi prouiſione repellendum, niſi forſitan timendum non putatis, quia oculis corporeis non uidetur, at ea de cauſa magis formidoloſus; quia pręuiſum hoſtem facilè erat cauere; Is autem hoſtis non modò non conſpicitur, ſed etiam ſub amici perſona fallens, & veluti partium noſtrarum fautor, doloſa ſępius ſuggerit conſilia ad perniciem trahentia, cuius documentũ prębere poteſt communis omnium Parens Adam, quem ſub melioris ſpei obtentu decepit, & ab his, quę in manibus erant bonis, detruſit; Videte quanto cum hoſte ſit certamen, qui & improuiſus, & ex inſidijs ſalutem noſtram petit, atque ita ex inſidijs, ut non inſidiari ſæpius, ſed auxiliari credatur; Sed quorſum hæc tàm multa de Monachi uita? Vulgus hominum nos religioſos uocat; non quò ſęculares

uiri

viri plures piè viuentes non sint ipsi quoque religiosi. sed id commune nomen attributum nobis, qui prçter cæteros religionis studium sumus professi, & in eo nos excellere oportet Quòd si irreligiosè viuimus cótra id quod profitemur, & monasticæ vitæ fert institutum, quanto odio digni sumus? qui vtinam non nati, si ex nostra uoluntate euenerit; Nos namque sæculi negotijs desertis in tenui victu, & cultu vitam agitamus, quotidie diuinas literas tractamus, sacros psalmos resonamus, exempla sanctorum spectamus, & quòd maius omnibus Deo Patri hostiam illam placentem sacrificamus. Si hanc igitur Sanctitatis aram, Si hanc sacram militiam: Si hanc stationem, atque vigiliam ab Imperatore Cœlesti creditam nobis, atque commendatam impiè viuendo prodimus; quæ turpitudo maior? quòd supplicium tanta turpitudine dignum inueniri poterit? Quid verò tàm inauditum, quàm si pro Religione stantes probo, & dedecore Monachi fuerint inoperti? Si Christi causa acerba non tolerauerint? In his standum est Iudici Deo. Nihil æquè quondam peramabant sancti Viri, quàm patientiam corporum exercere, & ostendere populis per vulnera, dolores, & acerbam mortem verum id esse, quod prædicabant; Illi præ martirij decore influere quaslibet pçnas aduersus se optabant; Principum indulgentiam detestabantur; videbant nihil eripi posse à Dei causa seiunctum; Erant enim Christi mancipia, qui si ferro, vel quouis alio pestifero cruciatu perdebantur, Christo perdebantur, idest inueniebantur. Facit hoc omninò vehemens amor, vt hominem non sinat sui ipsius esse; Hæc persequitur; hæc curat; hæc amplectitur sola, tanquam non in se ipso, sed in illo viuat. Hoc non dissimulans Paulus dicebat. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus: Quòd si oporteret summatim, & cum contemptu inuidiæ verum liberè dicere: Omnis mortalium fælicitas si cum cęlesti comparetur, quæ puris percipitur animis in contemplatione cęlestis boni, summa infælicitas dici potest: Omnia, quæ suauitate prima sunt sensibus, luctu, atque miseria plenissima sunt, si cum hac diuina veniant in contentionem: Nullius ingenium, cogitatio, eloquentia explicare potest, quantus, & quàm purus, quamq; suauis sit risus animæ illius, quæ cęlũ sibi promissum, lustrans, quotidie diuinæ lucis radijs perfunditur; Ille quisquis est eò raptus, sentit sibi aliquid plus homine contigisse; magna quędam speculatur, magnis fruitur delitijs. à quibus relapsus in hęc nostratia, luget quidem de tanto descensu; illud Dauidicum intra se repetens; Heu mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus cedar, multum incola fuit anima mea. Sed spe tamen interim delectatur magnifica, quod nec cuiquam alteri videt longiorem in hac vita moram; sed iam, iamque exeundum, & ad illa superna gaudia, quç prægustarat sibi veniendum, & egregium arbitratur in çternam illam fçlicemq; curiam non vt hospitem, & aduenam rece

ptum

rtum tunc iri, ſed vt notum iam, & familiarem. Quid? quod qui perfectio ri; vitę culmen aſcenderunt, circa ſe tranquilla cernunt omnia, quę ſunt apud alios turbulentiſsima; Non enim teneras carnis cupiditates iam temperantię vi reprimunt, ſed illas penitus obliuiſcuntur; non ſupra dolorum, & periculorum metum animum agunt, ſed omninò quid metus ſit, neſciunt; non ſuperbiam, non arrogantiam, non auaritiam, non inuidentiam frangunt, ſed iſtorum vitiorum vim ab his multis antea pręlijs debellatam iam non nouerunt; non affectus ad virtutes impellunt, ſed à virtutibus impelluntur affectus; non iàm ſub lege deſunt, ſed ipſi lex vitę efficiuntur.

Eia agite (Patres) excitemus, ſomno diſcuſſo, virtutem mentis, & ſurſum ſpectantes eijciamus affectus, qui deorſum ferunt: ſolum IESVM ſpectemus fontem dulcedinis, fontem & ſuauitatis, huic ſeruiamus uni, cui militant creata omnia, imò qui & ea creauit: huius aures fletu, gemitu, ſuſpirijs circumſonemus, donec miſericordia excitus ſe totum medullis, oſsibusq; noſtris infuderit. An ſi illi animam nudam obiecerimus, nihil ſæcularium affectuum tollentem non reſpiciat? non tegat, non veſtiat? non cœleſtium bonorum diuitijs, non ſe ipſo ditabit? Non adeò efferus, & immanis eſt Deus iſte, non tàm miſerorum præcibus infeſtus, non tàm optimorum votorum auerſator. Illum ſalutis, illum fœlicitatis noſtrę cura tenet, qui cum iratus eſt miſericordię recordatur.

Aſpicite, aſpicite (Patres optimi) aſpicite quęſo Crucem illam clariſsimum Pietatis, Clementięque ſuę monumentum, qua de ſede flagrantiſſimis amoris, ſi facem intorſerit mutuò corda noſtra torrentem, quid dulcius? quid pręclarius? quid glorioſius? Etenim tunc, quamuis terris hęte bimus corporeum induti tegmen, quadam tamen ex parte beatitudo cęleſtis, voluptaſque ſequetur: quę plena fuerit, ubi nos poſito corporis huius velamine domicilio exceperit ſuo diuina ſapientia, neque, vt nunc velatam, ſed nudam ſe nobis ſpectandam, contrectandamque prębebit: dulciſſima illo tempore inundabunt vndique gaudiorum mella; tenebrę tunc luce; labor quiete; ſeruitus libertate mutabuntur.

Dixi.

Deo ſemper, & vbique gloria, Vna, Vni, Vnde, eo omnia.

FINIS.

W

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

R. D.

GABRIELIS FLAMMAE VENETI

CAN. REG. LATER.

De Optimi Pastoris munere ORATIO

ad eiusdem Ordinis Gen. Synhodum:

quo die ab ipsa Rector Generalis renunciatus est.



VENETIIS. ∞ DLXXIIX

Apud Aldum.

R. D.

GABRIELIS FLAMMAE VENETI

CAN. REG. LATER.

De Optimi Paſtoris munere ORATIO

ad eiuſdem Ordinis Gen. Synhodum:
quo die ab ipſa Rector Generalis renunciatus eſt.

POSTEAQVAM illud mihi hodie munus demandatum eſt, ea iniuncta prouincia, Patres; vt me ſanctisſimi huius noſtri ordinis moderatorem, ac Ducem agere oporteat: magnopere optarem, ea dicendi copia, illis immenſis eloquentiæ theſauris ornari, quos mihi orator noſter, pro ſua in me beneuolentia, tribuebat; cum me ſummis laudibus cumulare

Digitized by Google

conaretur. Efficerem equidem; vt, ſi præclaris, egregijsq. facinoribus, veſtræ exſpectationi reſpondere minime poſſem, illuſtri ſaltem, ac prope diuino dicendi genere, quanti iudicium veſtrum fecerim, omnibus teſtatum eſſet. Verum, cum & vires me deficiant, ad ea præſtanda, quæ a magnæ dignitatis viro omnino proficiſci deberent; &, ab ea felicitate orationis, qua poſſem immortales vobis gratias agere, longe abſim; vehementer commoueor. Et, vtrum mihi hodie loquendum ſit, an potius ſilendum, penitus ignoro. Pudor, quem mihi natura tribuit, ſatis me commonere poteſt, ne tantum onus ſubire velim; ne ve putem de incredibili veſtra in me beneuolentia, pro rei dignitate, atque ſuſcepti muneris ratione, loqui poſſe. At maiorum noſtrorum perpetui mores, hac in re præſertim, magnos mihi dicendi ſtimulos admouere videntur. Quid faciam? qualem me vobis exhibeam? ſilentium, me in ingrati animi ſuſpicionem vocare poteſt; oratio, temeritatis notam minatur. Verum, ſicut, qui in aliquo vitæ diſcrimine ſunt conſtituti, etiam ſi illis tacendum eſſet, minime ſe continere poſſunt, quin vocibus, & lacrymis, auxilium amicorum implorent; vel ſaltem aliquam animi leuationem querimoniis quærant: ita,

cum

cum me hodie magno in periculo verſari cognoſcam, oratione ſaltem, pauore vexatum animum, lenire, & ſedare conabor. Oro vos igitur, Patres, vt me de optimi Paſtoris munere apud vos dicere aggredientem peramanter audiatis: quod eo a me nomine inſtitutum exiſtimetis, vt, cum ſalutis meæ maximum diſcrimen a me ipſo didiceritis, precibus, diuinam opem mihi adeſſe enixe poſtuletis: quod, vobis cum iucundum, tum magno vſui futurum fore confido. Cum enim multæ, eæq. præclaræ artes, ab hominibus excogitatæ, atque inuentæ ſint; aut excolendi ingenij cauſſa; aut ad animi virtutem, & magnitudinem comparandam; aut ad bene, beateq. viuendum: nulla vnquam, Patres optimi, aut præſtantior, aut difficilior mihi videri potuit, ea, quæ mortalium animos, atque affectus, ad eum dirigit finem, qui, ſupra vires, ſupraq. hominum cogitationem conſtitutus, quæ caduca ſunt, ac paruo tempore interitura, omnino aſpernatur, ac reſpuit. eiuſmodi eſt animarum cura, ac paſtoralis Chriſtiana ſolicitudo: ceteræ namq. artes, Dei nutu, atque auxilio inuentæ, intra limites naturæ continentur, corporis ſalutem, & nominis gloriam meditantur; hæc, æternam illam felicitatem, quæ Deo ipſo fruitur,

non

non modo contemplatur , ſed oſtendit; non modo oſtendit, ſed quærit; non modo quærit, ſed aſſequitur; non modo aſſequitur, ſed ab ipſa nullo vmquam tempore, nulla vi, nulla ratione diuellitur: illæ homines, vt recte reipublicæ, aut familiæ conſulant, induſtrios reddunt; hæc, vt, vitiis omnibus profligatis, asſidua pietate Deum colant, adhortatur: illæ, homines externo magiſterio docent; hæc, a Deo opt. max. interius, Sancti Spiritus vnctione, non tam demonſtratur, quam infunditur: illæ, ſi homines vna aliqua virtute præſtantes effecerint, ſatis ſe ſuo iure feciſſe videntur; hæc, ſi quis ea vti voluerit, illum ab omni vitiorum labe abhorrentem, & omnium virtutum ornamentis inſtructum requirit: illæ, vt in aliquo honeſtatis ſtudio verſentur, adhortatur; hæc, in Dei opt. max. meditatione tota cogitatione nos detinet. Quod vt melius efficiat, modo precatur, modo arguit; interdum minis, nonnumquam pollicitationibus, nobiſcum agit: audet, timet; feſtinat, cunctatur; vrget, retinet; conſolatur, terret; cæleſtia aperit, tartara ipſa rimatur; ſpem ingerit, metum incutit; docet, flectit, blanditur: nullam non quærit opitulandi rationem; nullum non mouet lapidem, vt omnes æternam felicitatem conſe-

ſe-

ſequantur : omnes ſumma caritate complecti-
tur : ſi quis aduerſa valetudine laborat, ex eius
dolore maximam ſe ægritùdinem capere o-
ſtendit; ſi ære alieno premitur, opitulatur; ſi
mærore animi contabeſcit, conflictatur : ſi ac-
cenſis cupiditatibus uritur, confragratur : ſi cul
pis a regia via deducitur, vt eum ad rectum iu-
ſtitiæ callem reuocet, conſectatur : Paſtoris,
Architecti, Militis, Imperatoris, Agricolæ,
Nautæ, Patrisfamilias, Cuſtodis officio fun-
gitur; artes omnium imitatur, labores om-
nium ſubit, in periculis omnium verſatur; om
nium mores induit; minime valentes, vt ma-
xime valeant, quærit; laxos, vt optimis inſti-
tutis in ſuam conſuetudinem pertrahat, admit
tit: in cœno omnium vitiorum uolutatos,
ut ad ſanctisſimæ uitæ nitorem adducat, ſedu-
lo curat : in luctu, & tenebris deliteſcit, ut alii
in gaudio, & luce uerſentur : in eo perpetuo
pugnat, ut nemo ſua ope, ſuis conſiliis deſtitua
tur : nihil ei optatius, nihil iucundius eſſe po-
teſt, quam ſi pro aliorum ſalute, ipſa omni ſa-
lute deſtituatur : illam arcem munitisſimam
dixeris, quæ inimicorum acerrimos ictus exci-
pit, vt alios tueatur. O rerum maximarum ma
giſtra, atque effectrix. O malorum omnium
propulſatrix. O diuina omnis ſalutaris conſilij
inuen-

inuentrix, & altrix. Tu homines Deo simillimos reddis, cum ipsos rationem, qua peccatorum animos lucrifaciant, doces. Sed, ut rem propius contemplemur, uidendum est, quas præcipue res complectatur; ut, si non omnia huiusce artis munera, saltem potiora intelligamus. Cum Deus, ac Dominus noster Iesus, Simoni Petro totius Ecclesiæ curam demandaret, eiq. gregem, cuius semper amantissimus fuit, pascendum traderet; non semel, aut bis, sed ter ab ipso quæsiuit, num se amore uehementi prosequeretur: cumq. semel, iterum, & tertio, Petrus de sua in eum beneuolentia testaretur; summus ille præceptor adiunxit, Pasce oues meas. Concreditum ergo gregem a Rectoribus, a Pastoribus, qui Petri, & Christi sunt coadiutores, pascendum erit. quo pabulo? nempe triplici: exemplo, verbo, atque subsidio: hoc enim Dominus Petro maxime testatum esse uolebat, cum præceptum, ac legem de pascendis ouibus, bis, & tertio promulgaret. Pasce oues Petre: Pasce inquam exemplo, Pasce verbo, Pasce subsidio. Tota, ac integra salutis nostræ ratio in eo sita est; vt vitæ functiones, officia, negotia, a nobis ita suscipiantur, vt diuina ipsa lex iubet: quod summa animi contentione tunc homines præstare conantur,

nantur,

nantur, cūm animarūm paſtorem virtūte præcellentem contuentur: ea enim eſt hominum natura, vt ad vitia longisſime propulſanda, & ad mores optimos conſectandos, Paſtoris, ac Principis exemplis maxime incitentur: quo fit, vt nulla libidine, nulla impuritate, Paſtor, ſine maximo gregis detrimento, inquinari posſit: omnes enim ex illius vultu pendent, omnes illius vitæ rationem ſequuntur, ad ipſius exemplum omnes ſe fingunt.deq. moribus illius, ſicut de aliorum forma, accidit: ſi enim aliquem inſigni pulchritudine collucentem præ oculis haberemus, cuius tamen eximiam formam aliqua macula dehoneſtaret; fieri non poſſet, quin a nobis, id etiam minime quærentibus, illa dehoneſtatio cerneretur: ita, ſi Paſtorem, multis nominibus inſignem, & animi pulchritudine, & bene actæ vitæ ſplendore fulgentem, contemplabimur; qui impuritatis aliquam labem, etiam minimam, admiſerit; eam & oculis obſeruare, & in exemplum facile traducere ſolemus. Opus eſt igitur, vt Paſtor, omni diuina virtute munitus, omni cæleſti ſapientia excultus, maximo hoc munere fungatur. Hæc autem, Patres præſtantisſimi, multis argumentationibus comprobare poſſem, quas conſulto prætereo: cum vos omnia, ex Paſtoris officiis melius cognoſcere posſitis. Optimus Paſtor, vt ius ſuum vnicuiq. reddat, &, vt alij quoque reddant, perpe-

B tuo

tuo curare debet, fallacem animi voluptatem ſu-
perare, fortunæ fulmina contemnere, aliorum
mores componere, abeſſe ab omni turpitudine,
etiam ipſa cogitatione, tenetur. Igitur prudentia,
fortitudine, iuſtitia, temperantia, vt ſuum obeat
munus, ei opus eſt. Quid plura? Qui ad omnem
virtutem alios incitare debet, numquam a ſeipſo
rectam ſui officij rationem expoſcet, ſi alicuius vir
tutis præſtantia deſtituatur. Hæc de Paſtoris e-
xemplis, breui admodum ſermone, pro ratione
temporis, complexus ſum. Nunc de verbo Dei,
quo ab ipſo paſcendæ ſunt oues Chriſti, mihi di-
cendum cenſeo. Cum enim ſummus omnium
opifex, hominem duplicis cuiuſdam naturæ crea-
uerit, quarum materiæ totius expers vna eſt, al-
tera carne, & oſſibus concreta, & compaginata;
pro vtraq. uita tuenda, atque inſtauranda, certo ci
bo, atque alimento indiget. Proinde Chriſtus in
Euangelio teſtatur, ſolo pane hominis vitam mi-
nime ſuſtineri, ſed eum verbo Dei maxime indige
re: quo profecto lectisſimus, & ſuauisſimus eſt
animæ cibus: quo diuinus pſaltes Dauid mirifice
delectatus, nullam ineſſe melli dulcedinem exiſti-
mabat, ſi cum Dei verbo in contentionem veni-
ret. Sponſa in Canticis, vita ipſa deſtitui præ gau
dio prædicabat, cum dilectum ſuum colloquen-
tem audiret. Maria, Lazari ſoror, immenſa verbi
Dei dulcedine capta, ciborum elegantiam, & ſua

uitatem,

uitatem, quibus poſſet corpus reficere, aſpernata, a magiſtri conſpectu nullis neque minis, neque precibus remoueri poterat. Optimus Paſtor, huiuſmodi pabula ouibus apponet: in hæc, veluti in herbida, atque amœna prata, ſecedere compellet: quod quidem ſumma prudentia vt efficiat, oportet. Nam ſunt tenelli agni, ſunt oues fetæ, ſunt imbecilles, ſunt firmiores, quibus idem cibus minime conuenit: ſunt, qui lacte; ſunt, qui ſolido cibo iuuantur. qui ingenio valent, ad Chriſtianam diſciplinam ſtatim percipiendam idonei ſunt: eaq. ſunt imbuendi: nam, ſi minime ſua ipſi ingenia ad optimos mores adiunxerint, quo præſtantiori acumine ſunt præditi, eo maioribus vitijs, peſtilentioriq. doctrina, inquinari poterunt: qui uero hebeti, craſſaq. mente ſunt, aliquam ſaltem expolitionem expoſtulant; ut, uel ea cognitione non deſtituantur, qua ſine, rectam ad cælum uiam uel uidere, uel ingredi minime poſſunt. Aliqui ſunt, qui ueritati aduerſantur, aut inſcitia, aut immanis gloriæ ſtudio: alij autem quodam animi zelo incitantur. Sunt, qui dedecore, flagitio, turpitudine, commaculantur. Sunt, qui omni in re cunctantur, timent, hærent, implicantur. Sunt denique nimis acres, &, qui temerario auſu, magno impetu feruntur. Sunt humiles. ſunt elati. Hi omnes, uaria ciborum ratione, alendi, nutriendi, inſtaurandi ſunt: quam prudens Pa-

ſtor præſtabit ex uerbo Dei, cum exemplis, tum rationibus: quibus, ſi in eam curam incubuerit, vt ſtrenue ſuas partes agat; ſuis ouibus ingenium, ſcientiam, moderationem, diſciplinam, decus, audaciam, metum, iuxta temporis, locorum, & perſonarum opportunitatem, ſubminiſtrabit. Verum, curam omnem adhibeat neceſſe eſt; ut incorrupti mores, aut perpetuo ab omnibus ſeruentur, aut citisſime reuocentur; ne corrupta, ac deprauata doctrina hæreticorum, aliquo modo, ueluti peſtis in gregem obrepat, qua oues omnes contabeſcant. Qui ſcelere affluunt, qui culpis commaculantur, protinus, repente, e veſtigio ad meliorem frugem ab ipſo pertrahantur, ne diuturna impunitate alantur. Facile enim malum naſcens reſecatur; at robuſtum, & inueteratum, non niſi maximo labore comprimitur. Percusſiones, vulnera ſui gregis conſpiciat; vt miſericordiæ oleo, aut ſeueritatis vino, veluti Samaritanus alter, leniat; monitis, præceptisq. perſtringat, & denuo coaleſcere iubeat. Qua in re, illud a Paſtore in primis enitendum; vt humanæ imbecillitatis rationem habeat; nec vnquam clementiæ obliuiſcatur: ſic enim homines facile ad ſe amandum alliciet, ſi eum odire vitia, homines autem ſummopere diligere, egregijs moribus comprobabit. Denique, bonus Paſtor alere neceſſe habet gregem ſuum temporalis huius vitæ ſubſidiis. Patres, ſu-

mus

mus omnes paupertatis sectatores, licet huic nostro ordini magnificentissimæ sint domus, & quondam fuerint res amplissimæ. Verum, nemo nostrum aliquid suæ ditionis habet, nihil retinet: religio omnibus est, ne quidquam vel ipsa cogitatione, veluti suum, aliquis complectatur. Quare, non video, quo ære, qua pecunia, quibus agris, opitulari alicui, Pastor, licet optimus, possit. Verum, si rem propius consideremus; satis Rector vester omnibus suppetias feret, si rerum publicarum tutelam, patrociniumq. suscipiet; si curabit, vt omnia summa fide administrentur; si profusos homines acri admonitione, & animaduersione, coercere non dubitabit. Hæc nostra Resp. (quod vos minime ignorare & optime noui, & maximopere doleo) ære alieno premitur: a feneratoribus, non a nobis, possidetur: &, qui nos comedunt, non dormiunt: impio fenore labefactatur. Quid dixi, labefactatur? immo uero, corroditur, dilaniatur, exhauritur, consumitur. elementa omnia rei nostræ bellum quasi videntur indixisse. Mare, quantum rei frumentariæ præterita hieme deglutiit? Ignis, non parum detrimenti rebus nostris attulit. Illius infaustæ noctis in mentem vobis veniat, qua, maximo labore, magnificentissimam hanc domum ab igne vix seruastis. Quid felicissimos agros memorem, fluminum alluuionibus coopertos? Quid augustissimum templum, terræmotu Ferrariensi

quassatum,

quassatum, & pæne funditus euer um? O nimium afflictam, & prope desolatam Remp. Quæ damna, quas clades non es passa calamitosissimis iis temporibus? Quibus omnibus, pro virili suo ingenio, consilio, vigilantia, suo etiam sanguine, si id occasio tulerit, debet Pastor occurrere. Hæ, Pastoris, moderatorisq. animarum, sunt partes; hæc sunt munera: quibus quam impares sint exiguæ meæ vires, satis intelligo: idq. maxime intellexit Pius Secchiarius Mutinensis, præclarus, ac egregius orator: qui, cum meas laudes verbis summa eloquentia præditis ornaret, non quæ de me dicenda erant, sed quæ a me essent præstanda, in medium attulit: ea enim est vir iste animi virtute, & moderatione; vt, cum de meo in Remp. studio me admonere voluisset, orationem suam mihi velut speculum obiecerit; vt perspicere possem, atque magnopere animaduerterem, quantum ornamenti mihi deesset. Optimi amici egisti partes, Pie Secchiari. mihi numquam defuisti per omnem ætatem: fortunarum, laborum, peregrinationum mearum comitem maxima ornatum fide, te mihi præbuisti: me sine nihil iucundum, nihil optatum, nihil carum habuisti: summa caritate me semper prosecutus: & denique, me hoc honore auctum, & ornatum, maxima moderatione, quæ tua est sapientia, consilio iuuare non desinis. Ingentes tibi habeo gratias supremi huius officii tui: nulla um-

quam

quam me capiet obliuio, dum hac luce fruar: huiusce caritatis tuæ memoria meo animo erit infixa. Me patre equestri ordine, matre autem patricio, ac senatorio natum commemorasti: ut ingenuæ nobilitatis numquam obliuiscerer. Me eloquentiæ parentem vocasti: vt, qua sedulitate, verbo mihi laborandum esset, intelligerem: quod & præstare omnibus viribus contendam. Vos, Patres, modo alloquar. Iam olim, cum tredecim annos nondum natus essem, a vobis susceptus inter vos, vel denuo natus sum. Vos me sanctissimis moribus, optimis disciplinis, imbuendum curastis: vos me in carissimi filii loco dilexistis: meam adolescentiam erudiendam suscepistis: me sæpius concionantem, in ipso ætatis flore, frequenti vestro cõspectu cohonestastis: de rebus maximis Philosophiæ, atque Theologiæ disceptantem, vestris laudibus ad grauissimarum rerum studia concitastis: lucubrationes meas perpetuo legere non dedignati estis: hac denique ætate, quæ vix dum quadragesimum quinctum annum excedit; hoc munere, quo apud nos nullum maius exsistit, me ornare voluistis: vos parentes, me filium vobis præfecistis: vos senes, me ætate inter vos minimum: vos prudentes, me consilii indigentem. Magnæ vestræ in me caritatis sunt hæc monumenta; quæ nullo umquam tempore animo meo excident: uerum vos perpetuo, omni studio, omni cura, laudi-

bus,

bus, officiis, precibus, vigiliis, quantum in me situm erit, iuuabo. Illud semper animo erit infixum meo, ut in hominem saltem gratum, & memorem, vos incidisse non pæniteat. Vos autem; quem tanta animi alacritate, nunc in Rectorem delegistis, assiduis a Deo opt. max. precibus contendite, vt gnauiter is, & strenue, iniunctum a uobis munus exsequatur. hoc a uobis expostulo. hoc mihi & necessarium esse confiteor, & pergratum fore polliceor. Qua de re, uos etiam, Patres præstantissimi, atque etiam rogo, atque obtestor.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DIXI